

Silvestro, conte di Marsico

H 19, (H 20 copia)

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Silvestro, conte di Marsico

H 19, (H 20 copia)

1155-05

In nomine Dei eterni et salvatoris nostri Iesu Christi. Anno incarnationis eiusdem millesimo centesimo quinquagesimo quinto, indictione tertia, mense madii, regnante domino nostro W(ilielmo) semper invistissimo ac triunfatore rege Sicilie, ducatus Apulie atque principatus Capue.

Cum unumquemque fidelem deceat chrisitanum evangelica precepta sequi volentem oculis cordis que ad anime salutem pertinent dum in hoc fragili seculo consistitur intueri, ideo nos Silvester Dei et regia gratia Marsicanorum comes, prece ac rogatu domni Iohannis Marsici Sancte Trinitatis Cavee monachi et amore Dei omnipotentis commotus, pro remedio et salute animarum domni Rogerii primi Sicilie comitis domnique gloriosissimi regis Roggerii bone memorie et pro sanctissimi W(ilielmi) regis et eius sobolis vita servanda, ut nos etiam iamdictum Silvestrum Marsici comitem et nostros heredes divina dextera Dei protegat et manuteneat et id in hoc agere seculo nos doceat ut nostra anima vitam eternam obtineat, pro omnium et nostrorum animarum salute et remedio parentum, donamus et perpetuo concedimus ecclesie Beati Apostoli Petri Tramutule et hominibus casalis iamdictae ecclesie habilitatem accipiendi glandes et herbam pro pascuis suorum animalium et de lignis silve totius pertinentie Marsici sicut alii boni homines Marsici accipiunt, ita et iamdicta ecclesia et homines eiusdem casalis accipiant. Que scilicet ecclesia in honore Sancte Trinitatis de Cavea est constructa et ordinata. Que superius dicta sunt, videlicet glandes et cetera pascua et aquam et silvas sicut permissum est prefata ecclesia et homines tantum eiusdem casalis accipiant

et utantur. Si qua vero magna, quod absit, humilisque persona hanc nostram concessionem et donationem infringere seu retraere voluerit, sciat se unam auri libram compositurum, medietatem nostre curie et reliquum monasterio Sancte Trinitatis de Cavea, penaque data donatio firma permaneat. Quam et cartam nostro tipario plumbea bulla confirmari fecimus et crucem manu nostra causa confirmationis fecimus per manum etiam magistri Lamberti nostri notarii scribi precepimus, subscriptis hominibus ex hoc existentibus testibus.

Signum manus domni S(ilvestri) Dei gratia Marsici comitis # Signum manus I(ohannis) Budonis domni comitis dapiferi # Signum manus Rogerii Duranti camerarii # Signum manus W(ilielmi) filii Gualterii # Signum Roberti archidiaconi # Iaspides hoc totum iudex probat ordine notum # Signum manus Gaufridi filii Petroni de Cotonio # Signum manus Maiorani.